
J. Wandal

de discrimine peccator. originalium primario.

Ps. XIX. v. 13.14.

Hafn., 1694.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

1,-116-4

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 01010 8

+REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

JOH. WANDALINI FIL.

SS. Theol. D. & Prof. Prim.

DISSERTATIO

De

DISCRIMINE PECCATORUM ACTUALIUM PRIMARIO

Ex Pſal. XIX. v. 13. 14.

Ordinariæ Diſputationis loco propoſita

Reſpondente

CHRISTIANO LANGIO
Phil. Bacc.

ad diem Martii An. MDCXCIV.

in Audit. ſuper. horis conſvetis.

HAFNIÆ,
Typis Joh. Phil. Bockenhoffer Reg. Maj. & Univerſit. Typographi.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

Qvàm facilis in peccata, & qvàm (niſi accelerata maturè pœnitentia interceſſerit) exitialis ſæpe ac mortifera ſit depravatæ in nobis ac deperditæ naturæ prolapſio, intellexit ſecum, per illuſtrantem Dei Spiritum, plùs vice ſimplice, ὁ κατὰ τὴν καρδίαν Θεοῦ Ἀνὴρ, Δαβὶδ τοῦ Ἰεσσαὶ [*Actor.* 13. *v.* 22.] *ſalutari cum cordoliô: Fuditq́ꝫ eapropter (ut teſtantur ſanctiſſimæ Pſalmodiæ ejus) perqvàm crebras Deo ſuo preces & ſuſpiria: ex qvibus binos hos modò Decimi noni Pſalmi verſiculos, tanqvam ſupplicationem Davidicam, unam inter multas præcipuam & palmariam, Nobiliſſimus Dn. Doctor WANDALINUS, Collega noſter in Chriſto honoratiſſimus, præſente Diſſertatione ſuâ, pertractavit & enucleavit; Pertractavit verò & enucleavit ita; ut, qvid de receptis hactenus Theologorum formulis (qvando diſtingvi ſolent peccata actualia in* venialia, *&* mortalia: *in* regnantia, *&* non regnantia: infirmitatis, *&* malignitatis: ignorantiæ, *&* contumaciæ) *ſentiendum aut ſtatuendum ſit, clarâ qvaſi face admotâ, & vivô additô interprete, legentes pariter & audientes, in propatulô nunc omnes & confeſſô habeant. Pro canone igitur, & præceptô qvôdam divinô ſervire opportunè qveunt cunctis doctiſſima & ſelectiſſima commentata hæc:* לִשְׁמוֹר נַפְשׁוֹתָם בְּכָל־מִשְׁמָר: *ut cuſtodiant animas ſuas in omni cuſtodiâ* [*Deuter:* 4. *v.* 9.] וְלִהְיוֹת תְּמִימִים בִּפְנֵי אֱלוֹהִים בְּהִשְׁתַּמֵּר מֵעֲוֹנוֹתָם: *& ſint perfecti in oculis Domini, obſervando iniqvitates ſuas:* [*Pſal.* 18. *v.* 24.] *Ad qvas utiliſſimas & religioſiſſimas piarum mentium vigilias & excubias dum lituô hîc canit WANDALINUS noſter, qvid, niſi ſe ipſum fidum Eccleſiæ excubitorem & vigilem monſtrat? ad defendendam Orthodoxiam noſtram, nullis non dotibus inſtructiſſimum, nullis non laudibus digniſſimum? Sic cenſui: Hafniæ XIII. Kalend: Mart: Anni M. DC. XCIV.*

H. BORNEMANN.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

JESU PROPITIO!

Meditationum piarum ſcopus hic ferè eſt, qvi & totius ſyſtematis Theologici, ſecundùm Bernhardum Serm. 2. de Diverſis, *Deus noverim me, noverim Te.* Per viam aſcenſus hoc, per viam deſcenſus illud aſſeqvimur. Præivit luculentô exemplo Propheta Regius Pſ. XIX. qvi totus, ut ex epilogo colligitur, una eſt meditatio, ſcalæ ſimillima in terris erectæ, & faſtigio ſuô ad cælos pertingenti, per qvam aſcendebant Angeli & deſcendebant Gen. XXVIII. 12. *Primò* enim aſcendit David ad id qvod ſummum eſt, meditandô Deum: & huic meditationi duo inſignia ſuccurrebant volumina, illud nempe *Naturæ* per contemplationem operum divinorum, ab initio Pſalmi: *Cœli enarrant gloriam DEI* &c. usq; ad finem v. 7. alterum *Scripturæ* per revelationem Verbi divini a v. 8. *Doctrina Jehovæ integra eſt* &c. ad finem v. 12. Illud Majeſtatem, bonitatem & potentiam DEI, hoc ejus voluntatem & miſericordiam declarat: vel, ut cecinit qvidam,

Eſt *Natura* liber primus, *ſcriptura* ſecundus,
Altera *poſſe* docens, altera *velle* DEI.

Deinde Regius Propheta, cùm ultra aſcendere non poſſet nec prodeſſet, deſcendit, & qvidem in ſe ipſum, ſuam meditandô infirmitatem ac miſeriam. Nec aliunde hanc rectiùs diſcit, qvàm ex propriæ conſcientiæ libro, *ad qvem*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

diſcutiendum & emendandum omnes alii libri inventi ſunt, dicente ſupra memoratô Clarævall. Abbate *de intern. domo.* Invenit autem hunc librum γεγραμμένον ἔσωθεν ϗ ὄπισθεν *intus & a tergo*, ubiq; refertum accuſationibus: &, cùm aliàs de ſpecialibus delictis qveritur, *defectiones meas agnoſco, & peccatum meum obverſatur mihi jugiter* Pſ. LI. 5. hìc ad conſpectum tam vaſti voluminis, in qvo nihil vacat, omnia plena actis vitæ præteritæ, qvæ vel minimum a norma Legis div. defecerant, hæret attonitus & præ terrore exclamat v. 13. שְׁגִיאוֹת מִי יָבִין *errores qvis intelligit?* Mox, (ecce *qvantum in ipſo effecit ſtudium hæc contriſtatio* 2 Cor. VII. 11.) a lacrimis ad preces ſe convertit, *tum* miſericordiam implorans veniamq; delictorum infirmitatis מִנִּסְתָּרוֹת נַקֵּנִי *ab occultis me abſolve*, *tum* gratiæ auxilium contra graviores lapſus ex dominio peccati reſultantes deſiderans v. 14. גַּם מִזֵּדִים חֲשֹׂךְ עַבְדֶּךָ אַל יִמְשְׁלוּ בִי אָז אֵיתָם וְנִקֵּיתִי מִפֶּשַׁע רָב׃ *Etiam a contumaciis retrahe ſervum tuum, ne dominentur in me, tunc integer & inſons ero a defectione magna.*

§. 2. Sunt, ut videtur, in brevi ſententia. magna qvædam & neceſſaria momenta. *Primò* ſiſtitur diſcrimen peccatorum in ſe; alia en. ſunt שגיאות *errores* vel errata, qvæ magnam partem ſunt נסתרות *occulta:* alia ſunt זדים *peccata contumaciæ*, qvæ pariunt ex ſe פשע רב *transgreſſionem magnam.* (2.) Nominatur ſubjectum utriusq; generis delictorum, עַבְדֶּךָ *ſervus tuus*, Domine; Sic de ſe loqvitur David, homo renatus, ſanctus, Vir ſecundùm cor i. e. voluntatem DEi. (3.) Oſtenditur differentia peccatorum utriusq; generis, qvoad modum & conſeqvens ſive effectum. *Alia* ſunt enim qvæ renatis magnô numero

ad-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

adhærent, & a qvibus per totam hanc vitam liberari omnino non poſſunt, niſi qvà reatum & maledictionem; *errores qvis intelligit? ab occultis me abſolve:* imò qvibus etiam durantibus homo eſſe poteſt integer ex fide, & extra dominium peccati, ut intelligitur ex antitheſi. *Alia* ſunt, qvæ cum ſtatu renatorum pugnant, & a qvibus hi per auxilia gratiæ cuſtodiri poſſunt & liberari: qvæ verò patrata eandem gratiam & Spiritum regenerationis excutiunt, ſubjiciuntq; hominem dominio peccati & maledictioni legis. *A contumaciis ſubtrahe ſervum tuum, ne dominentur in me, tunc integer ero & inſons a defectione magna.* Hoc itaq; toto ex contextu & verbis ſingulis per debitam ἀνάλυσιν & ἐπίλυσιν derivare licebit, Deo adſpirante, clariſſimam lucem in doctrinam Eccleſiæ noſtræ puriorem *de peccatis*, qvatenus diſtingvuntur in *venialia & mortalia*, ſive in *peccata infirmitatis*, & *regnantia*; illa diſtinctione locum habente in circulo juſtificationis: hàc verò præcipuè in circulo ſanctificationis.

§. 3. Et venialia qvidem peccata hìc appellantur שׁגיאות & נסתרות: illud a cauſa efficiente & formali, hoc a materiali. Utrumq; vocabulum autem in ſe implicat infirmitatem & ignorantiam. Primum שׁגיאות hoc unico loco occurrit, ſed ejusdem ſignificationis cum שְׁגָגוֹת (notante Aben-Ezra ‏לו‏ א in priori *ſtare* תחת אות הכפל *loco literæ* ſc. ג *duplicatæ*) & errores denotat, ſive peccata *ignorantiæ*, vel (ut loqvi amant Scholaſtici) *inadvertentiæ*, qvalia Num. XV. 27. 30. opponuntur peccatis, qvæ fiunt ביד רמה *manu elata*, ἐν χειρὶ ὑπερηφανίας ut οἱ LXX. reddunt. Qvia verò ſunt ex *ignorantia*, dicuntur mox (2.) נסתרות *occulti* errores vel lapſus; non qvidem *occulti* DEo, aliàs en. non rogaret Propheta eorum condonationem: ſed *occulti* peccantibus, (hinc rectè ſupplet Aben-

 Ezra

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

Ezra ממנני) vel qvia propter multitudinem non occurrunt memoriæ, vel qvia pro peccatis non habentur. Utrumq; reſpicit in notis R. Sal. Iſacides. Porrò iſtos errores LXX. interpretantur παραπτώματα, non malè. Qvamvis en. latius ſit græcum vocabulum, & ad omnis generis peccata, etiam qvæ maximè voluntatia, extendatur, ut Rom. IV. 25. V. 17. Eph. II. 5. & alibi, imò idem ſit qvod ἁμαρτία, κατ᾽ ἐξοχὴν ſic dicta, Rom. V. 12. 15. 17. in primis v. 29. tamen ex ipſa vi vocis & etymo errores ſignificat ex imprudentia, inſcitia & mera infirmitate commiſſos. Eſt en. a παρὰ & πίπτω, qvaſi *præter cadere*, cùm ſcil. præter intentionem vel ex improviſo actiones nonnullæ extra rectam juſtitiæ lineam cadant, ut obſervat Flacius *in Clav. Script.* Hoc ſenſu Paulus Gal. VI. 1. παράπτωμα vocat tale peccatum, in qvo qvis προληφθῇ *præoccupatus fuerit*, ſc. ab infirma carne, ſpiritu interum prompto ad reſiſtendum tentationi, ut Matth, XXVI. 41. Agnoſcit en. loc. cit. Apoſtolus diſcrimen inter infirmos, qvà tales, & πνευματικοὺς, qvos appellat, qvà majori ſpiritus virtute in tentationibus ſuſtentatos; ſicut Rom. XV. 1. idem diſcrimen innuit inter τοὺς δυνατοὺς & τοὺς ἀδυνάτους: conf. Rom. IV. 20. Eph. VI. 10. Lapſus iſtiusmodi meræ infirmitatis per delicta שגיאות denotari ſuffragatur, qvi unus eſſe debet inſtar multorum, Magnus Auguſtinus *Enarr. in Pſalm.* h. l. Davidem ajens *precari, ne ſibi ut homini qvædam ſurrepant, & qvibusdam ut homo præoccupetur.* Addit & rationem cur *occulta* dicantur: *nam qvando qvisqvam ipſo delicto involutus eſt, qvaſi obtenebratis opertisq; oculis non videt delictum.*

§. 4. Nempe, utcunq; homo regenitus a cæcitate ad viſum, a tenebris ad lucem ſit translatus, & *transformatus per renovationem mentis ſuæ, ut probet qvænam ſit voluntas illa DEi bona, placens & perfecta* Rom. XII. 2.

qvi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

qvicqvid tn. cognoſcit, tantùm ex parte cognoſcit 1. Cor. XIII. 9. Similiter, licèt per Spiritum regenerationis voluntas hominis ita corrigatur, ut, qvæ antea non voluerit nec velle potuerit niſi *malum* Rom. VIII. 7. Gen. VI. 5. VIII. 21. jam incipiat *velle* bonum Phil. II. 13. imò *conſentire legi* divinæ Rom. VII. 16. imò *in via teſtimoniorum DEi gaudere & delectari* Pſ. CXIX. 14. 24. 35. manent tamen reliqviæ peccati, & caro originali labe infecta, qvæ obſtat, qvò minus voluntas perfectè aut perpetuò ad bonum in hac vita inclinetur. Hinc peccata infirmitatis; qvæ vel per ignorantiam in intellectu, vel per vitium inconſtantiæ in voluntate, ad utrumq; flexibili, committuntur. Ita Paulus jam renatus qverebatur ſe eſſe carnalem, ideoq; nonnunqvam *non agnoſcere qvod perpetrabat*, nonnunqvam & *facere, qvod non volebat* Rom. VII. 14. 15 Pariter & David in loco noſtro peccata infirmitatis ſua deſcribit partim a vitio voluntatis: *aberrationes qvis intelligit?* partim a vitio intellectus: *ab occultis munda me*. De utroq; genere diſtinctè.

§. 5. Solent peccata infirmitatis dici *involuntaria*. Rectè. Qvid ita? An qvia prorſus nolente & invito homine perpetrantur? neqvaqvam. Vid. Auguſt. *Retract. L. I.* Diſtinctione opus eſt. Vult ea homo, qvà carnalis & venundatus ſub peccato: non vult, qvà ſpiritualis & renatus. Vult quoad Veterem hominem, vel carnem, non vult qvoad novum & internum hominem, vel Spiritum. Sunt enim in homine renato duo agendi principia: *Spiritus*, qvem accepit ex auditu fidei: *Caro*, qvam reſiduam habet ex priore ſtatu. Neq; *ille* homini datur ἀμέτρως 2. Cor. X. 13. Eph. IV. 7. Neq; *hæc* deſinit eſſe, qvod fuit, maximè nempe vitioſa, & per concupiſcentiam operoſa. Hinc perpetua in eodem ſubjecto lucta, concupiſcente carne, Spiritu repugnante; concupiſcente Spiritu, carne re-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

pugnante Gal. V. 17. Qvamvis igitur una ſit eademq; voluntas, propter duas tn. iſtas diverſas & inter ſe contrarias qvalitates, qvamdiu Spiritus & caro ſimul in homine ſunt, non mirum eſt, ſi circa idem objectum ſit *velle & nolle*. Et hinc intelligitur, nonnulla renatorum peccata dici involuntaria, non qvòd ea nullo modo velint, ſed qvòd ſaltem non velint qvoad Spiritum & internum hominem. Sic Paulus Rom. VII. *malum qvod nolo, qvod odi, hoc ago: &, cum facio qvod nolo, conſentio legi qvòd bona ſit* v. 15. 16. Item: *ſi id facio, qvod nolo, non ampliùs ego id perpetro, ſed peccatum qvod in me habitat*, v. 20. Non faceret, ſi planè nollet; nam *concupiſcentia, cùm illexerit ad malum perpetrandum, obtinuit voluntatis aſſenſum*, ait rectè B. Auguſtinuo: & tamen non vult, qvod facit, qvia reluctatur ejus Spiritus, uti probatum.

§. 6. Accedit, qvòd & *involuntaria* dici poſſunt iſtiusmodi peccata, qvia per inordinatos vehementesq; concupiſcentiæ inhærentis motus voluntas non ſuæ relinqvitur libertati, ad ſeqvendum intellectus, meliora ſvadentis, conſilium; ſed præoccupatur ab affectibus carnis, importunè & cum impetu, nullâ ad deliberandum conceſſâ mora, ſollicitantis. Qvæ eſt *Lex peccati in membris*, qvæ *captivum reddit* hominem Spiritu mentis reluctantem Rom. VII. 23. eſt *ſervitus corruptionis*, ſub qva & *illi ſuſpirant, qvi primitias Spiritus acceperunt* c. VIII. 21. 23. Nempe fomitem in carne geſtant, in qvo ſcintilla facilè accenditur, qvæ mox, niſi aliunde ſuffocetur, in flammam erumpet: & ut cecinit Pindarus Chriſtianus (ſic Prudentius audit Eraſmo)

Nos parentalis maculat reatus, & caro mentem
trahit imbecillem. —— ——

Exemplis res clarior evadet. Qvis putet Davidem, legis divi-

divinæ ſtudioſiſſimum, adeoq; ſceleris purum, ut etiam Sauli, perſecutori atrociſſimo, & qvem noverat divinô judicio regimine abdicatum, ipſeq; jam regno per unctionem Prophetæ certiſſimè deſtinatus, vim inferre noluerit, etiam datâ non ſemel ampliſſimâ occaſione: qvis, inqvam, putet eundem Davidem, cum a Nabale offenſus eſſet, ita Legis & recti plane oblitum, ut neſciverit privatam qvamlibet ſui ipſius vindictam illicitam eſſe? Et tamen idem ſanctiſſimus homo, auditis indigniſſimis Nabalis convitiis, ita ſubitò exarſit, ita iræ prævertentis æſtu occupatus fuit, ut non modò ipſum Nabalem, ſed & totam ejus familiam, in qva multi innocentes, exſcindere decreverit: feciſſetq;, niſi prudenti Abigäelis conſiliò maturè Deus inhibuiſſet, 1. Sam. XXV. 13. 22. 33. 34. Peccavit interim ſat graviter, ſolùm animô privatam vindictam & cædem, etiam innocentium, concipiens. Conf. Lev. V. 4. Et hoc peccatum erat infirmitatis, imo involuntarium; qvippe, qvod aliàs noluiſſet adhibitâ in conſilium ratione, id velle coactus fuit præcipiti & inconſulta temeritate, εἰδὼς μὲν, μὴ προβολήσας δὲ, ut loqvitur Ariſtoteles *V. Ethic.* 10. Addamus alterum exemplum in Petro. Noverat Servatorem, nuper eum confeſſus fuerat, nuper adeò ſibi confiderat, ut proteſtaretur, neq; ſe velle eum abnegare, neq; abnegaturum unqvam: ut adeò neq; intellectus vitio, neq; voluntatis propoſito ſecutus paulo poſt diræ abnegationis conceptus adſcribi debeat. Sed, eheu! prævaluere carnis infirmæ affectus, maluitq; Chriſtum non confiteri, qvàm certo ſemet periculo objicere. Id primùm animi anceps cogitabat ὑπὸ τοῦ δέους καταγωνισθεὶς, ut pulcrè ait Chryſoſtomus *in Matth, XXVI.* mox facto deſignabat. Si intra ſolam animi anxii cogitationem peccatum ſubſtitiſſet, fuiſſet utiq;, durante adhuc illa Spiritus & carnis luctâ, *pec-*

ca-

catum infirmitatis & *involuntarium:* nam voluntas ejus fuit metu ſubito periculorum inclinata, ac proinde non ſimpliciter & abſolutè libera. Qva in re ὁμόψηφον habemus, præter alios celebres Theologos, noſtrum B. Feurbornium *tract. de pecc. in Sp. S.* p. 232. Ἀκουσίως, ait *peccavit in primo veſtibulo, & qvidem mortis horrore ipſius pectus conqvaſſante, & durante adhuc Spiritus & carnis luctâ: qvâ* demum *ceſſante & carne victoriam reportante peccavit* ἑκουσίως. Ex infirmitate etiam & involuntariè peccâſſe Lothum, *mæror ejus ſingularis, ſenilis ſtupor, laſſitudo corporis, ebrietas involuntaria, profundus ſomnus* indicant, judice Patre Theologorum Gerhardo *ad Geneſ.* p. 404. Seqvitur jam de peccatis infirmitatis & involuntariis ex vitio intellectus.

§. 7. Qvamvis peccata *qvotidianæ incurſationis* (ſic venialia appellat Tertullianus) tantô ſint numero, ut numerari neqveant, multo minùs a pænitente recenſeri, ut vel hoc reſpectu dixerit David: *delicta* מי יבין *qvis intelliget?* tamen ſunt nonnulla hujuscemodi delicta, qvæ a priori non cognoſcuntur eſſe delicta, qvæve inſciis & ignorantibus ſuboriuntur, ut *cùm fecerit qvispiam præter ullum mandatorum Domini, eorum qvæ non ſunt facienda, & neſciverit ſe reum fieri*, qvemadmodum vertunt Tremellius & Junius Lev. V. 17. Hoc modo peccant ſæpiſſimè etiam renati, ex infirmitate naturæ & caligine mentis, per Spiritus S. illuminationem nondum plenè ſublata. Unde & Auguſtinus *To. IV. Qvæſtionum* 83. *qvæſt.* 26. ſic diſtingvit: *peccata aliqva ſunt infirmitatis, aliqva imperitiæ, aliqva malitiæ.* Cæterùm ignorantia poteſt eſſe vel *Juris* vel *facti*, & hæc iterum vel facti totius, vel circumſtantiæ cujusdam aut effectus inde producendi. Iterum ignorantia hæc poteſt eſſe vel *invincibilis*, cùm qvi eâ

labo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

laborant etiam adhibita diligentiâ ad ſciendum non perveniunt, vel *vincibilis*, qvæ adhibitô diligenti ſtudio vinci & depelli poteſt. Utraq; apud renatos exiſtere poteſt, & *hæc* qvidem apud eos qvi ſunt in gradu proficientiũ & νηπίων, qvi nondum habent αἰσθητήρια γεγυμνασμένα πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ Ebr. V. 13. 14. *Illa* etiam apud τοὺς τελείους, qvi propter imperfectam cognitionem viatorum 1. Cor. XIII. 9. opus habent per totam vitam cum Propheta ſuſpirare: *retege oculos meos Domine, ut intuear mirabilia ex Lege Tua: peregrinante me in hac terra, ne abſcondas a me præcepta Tua* Pſ. CXIX. 18. 19. Sed, qvaliscunq; hæc ſit ignorantia, poteſt qvidem in renatis eſſe *craſſa*, non debet eſſe *affectata*: vel, poteſt eſſe puræ ἀποφάσεως, minimè verò eſſe debet pravæ διαθέσεως ſ. diſpoſitionis. Hæc en. eſſet *malitiæ*, qvæ cum fide & Spiritu regenerationis conſiſtere neqvit: illa v. meræ infirmitatis, &, qvà invincibilis & minimè affectata, ἀκούσιος.

§. 8. Tale fuit peccatum Abimelechi Gen. XX. Qvamvis en. non fuerit regenitus, adeoq; nec in ſtatu veniæ pro leviſſimo etiam delicto conſeqvendæ, aut majoris lucis per Legem Scriptam communicatæ, habuit tn. Legem naturalem, eadem qvoad ſubſtantiam præcepta juris & æqvi menti repræſentantem; & ſic ſaltem h. l. conſiderandus. Abduxerat Saram, qvam uxorem Abrahæ eſſe neſciebat, in ædes ſuas, intentione utendi eâ ad libidinem. Qvod ſi feciſſet, adulterium commiſiſſet, & longè graviſſimam Abrahæ injuriam intuliſſet. Qvò minus autem faceret, Deus obſtabat, nunciata mortis comminatione, factum præveniens. Abimelech innocentiam ſuam ex ignorantia facti Deo declarans, *an*. ait, *etiam juſtos interficeres? nonne ipſe dixit mihi; Soror mea eſt*; *& illa ipſa qvoq; dixit, frater meus eſt: cum integritate cordis*

mei, *& munditia manuum mearum feceram illud* v. 5. Admiſit excuſationem ὁ καρδιογνώστης, *dixitq; ei in ſomnio: tum ego ſciebam in integritate cordis tui te feciſſe illud; tum etiam cohibui Te, ne peccares in me: idcirco non ſivi Te attingere illam* v. 6. Poterat nempe Abimelech, qvà Gentilis & nondum verbi divini luce irradiatus, prætexere ignorantiam juris, qvoad fornicationem, cui Saram ut ſuo ſenſu liberam mulierem deſtinârat. Erat en. fornicatio gentilium, ut videtur, communi conſenſu res indifferens. Unde Cicero *Or. pro Cælio: qvando hoc non factum eſt?* ait, *qvando reprehenſum? qvando non permiſſum?* Res adeò nota hæc eſt, ut probatione ferè non egeat. Taxat errorem Apoſtolus, ut *gentibus* proprium, qvæ non noverunt Deum 1. Theſſ. IV. 5. cauſamq; aſſignat *tenebris obſcuratam mentem*, *propter ignorantiam qvæ erat in ipſis* Eph. IV. 18. Fortè, ſi gentilis ille Rex de fornicationis peccato rectius noviſſet, etiam ab ejus propoſito ſibi caviſſet. Noverat autem adulterium eſſe grave peccatum: ideoq;, abductâ Sarâ, *ignorantiam facti* cauſatur, ut verè neſcius eam eſſe uxorem Abrahami. Videbat Deus ignorantiam illam non eſſe affectatam: ideoq; admittit excuſationem: *ſciebam cum integritate cordis tui te feciſſe illud.* Qvænam illa integritas, niſi particularis, qvoad non intentatum Saræ, ut conjugi Abrahæ, vitium? Qvænam verò in homine gentili integritas cordis? Certè non *legalis* perfecta, qvæ in nullo homine invenitur: non *Evangelica*, qvæ in nullo homine infideli locum habet. Ergò naturalis aut moralis, qvæ a dictamine rationis merè naturalis non diſceſſerat. Et hæc in tantum placebat DEo, ut *tum* cohiberet Abimelechum a peccando, *tum* remitteret pœnam ipſi deſtinatam; *tum* & fortè poſtea, ut reliqviis iſtis luminis naturalis non malè utentem, majore

ad

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

ad cognitionem ſalutarem lumine dignaretur. Sed, qvomodo & qvousq; extenuet peccatum ignorantia, jam jam videbimus.

§. 9. Conſideremus hìc qvoq; exemplum Pauli, qvi ante ſuam converſionem Eccleſiam Chriſti ſupra modum perſeqvebatur, ac vaſtabat, Gal. I. 13. Act. VIII. 3. ἐμπνέων ἀπειλῆς καὶ φόνου c. IX. 1. περισσῶς τε ἐμμαινόμενος αὐτοῖς c. XXVI. 11. Non (1.) ipſi furor iſte ex odio privato adverſus Chriſti diſcipulos, qvi nullâ eum injuria provocaverant. Unde ergo? ex zelo certè pro Lege. Sic ipſe Phil. III. 6. κατὰ ζῆλον διώκων τὴν ἐκκλησίαν, κατὰ δικαιοσύνην τὴν ἐν νόμῳ γενόμενος ἄμεμπτος. Manifeſtum itaq;, qvod ait Chryſoſtomus in Act. XXVI. 9. ζήλῳ οὐχὶ θύμῳ ταῦτα ἐποίει. Et profectò bonus fuiſſet zelus, ſi non cæcus. Nec (2.) judicio ejus voluntas qvid contrarium deſignabat: omninò en. *ſibi videbatur, multa nomini Jeſu Nazareni contraria facere debere* Act. l. c. Utiq; & bona fuiſſet voluntas, niſi in objecto hoc ſpeciali errâſſet. Erat autem (3.) error in intellectu, nondum de veritate religionis Chriſtianæ convicto. Perſvaſerat en. ſibi Jeſum eſſe impoſtorem, & eſſe Chriſtianismum ſectam peſtiferam, in præjudicium Moſis & Legis ex orco eductam. Si ita ſe res habuiſſet, uti ille qvidem tunc exiſtimabat, zelus iſte & iſtud propoſitum, non modò nullam reprehenſionem, ſed & commendationem meruiſſet. Hærebat ergo in *errante judicio* vitium: & hinc perſecutor factus, qvi aliàs a zelo laudem habuiſſet. De hoc a. qvicqvid ſit, qvandoqvidem in intellectu prima facti obliqvitas orta eſt, perſecutio, qvam moverat, *peccatum* erat *ignorantiæ*: hoc en. titulo factum illud ipſe appellat 1. Tim. I. 13. ἠλεήθην, ait, ὅτι ἀγνοῶν ἐποίησα ἐν ἀπιστίᾳ.

§. 10. Cernimus itaq; per *ignorantiam* qvidem nonnunqvam

qvam excuſari delicta, nonnunqvam extenuari; at non qvælibet delicta, nec per qvamlibet ignorantiam. Alia eſt ignorantia ſimplex eorum, qvi à qvo diſcerent non habuerunt; hæc licèt a crimine non abſolvat, extenuat tn. & culpam & pænam, reſpectu aliorum, qvi contumaciter delinqvunt. Sic Magiſter Luc. XII. 47. 48. *Servus, qvi novit voluntatem Domini, & non facit, cædetur multis plagis. Qvi verò non novit & fecit digna plagis, cædetur. paucis* Ratio ibidem: qvia, *cujcunq; multum datum fuerit, multum qvoq; repetetur ab eo* &c. Alia eſt ignorantia, qvæ vel ſimulatur, vel affectatur. Ut illa in judicio divino damnabilis Matth. XXV. 41. ſeqq. 1. Sam. XV. 13. 14. ſeqq. ita hæc non minùs. *Noluerunt intelligere, ut benè agerent* Pſ. XXXVI. 4. Rectè Aqvinas 1. 2. *qvæſt.* 76. 4. *Ignorantia per ſe & directè voluntaria auget voluntarium, & per conſeqvens peccatum.* Cùm qvis *odit lucem, ut malè agat*, Joh. III. 20. cùm inſtar *ſurdæ aſpidis aures obturat*, ne audiat vocem incantatoris, cujus vi ab obliqvo & ſerpentino curſu revocari poſſet Pſ. LVIII. 5. 6. cùm *abſtrahit ſe a conſilio divino, qvia non vult correctioni ejus acqvieſcere* Prov. I. 24. *fruſtra* is *certè ſibi de ignorantia blanditur, qvi, ut liberiùs peccet, libenter ignorat*, ſunt verba Bernhardi *de* 12. *grad. humil.* Atq; ex tali ignorantia qvæ committuntur peccata, ſunt maximè voluntaria, Nam, ut ait Aqvinas loc. cit. *ex intentione voluntatis ad peccandum provenit, qvòd aliqvis vult ſubire ignorantiæ damnum, propter libertatem peccandi.* Ab *internis* iſtis in mente tenebris, qvibus qvis delectatur non invitus, facilè licèt invitus ad extimas propellitur, ubi κλαυθμὸς καὶ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων Matth. XXV. 30. At verò, qvi verè ſunt regeniti, animas habent cognitionis divinæ ſitientes, ſicut *cervus glocitat adſpirans*

ad

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

ad alveos aqvarum Pſ. XLII. 2. 3. *attendunt ad ſapientiam aures, & inclinant animos ad intelligentiam: qværunt eam tanqvam argentum, & tanquam abditos theſauros eam ſcrutantur* Prov. II. 2. 4. Et tamen, cùm in hac vita tantùm ſucceſſiva ſit tenebrarum & errorum in intellectu diminutio 2. Cor. III. 18. IV. 16. & multi, etiam hâc parte, defectus in mentibus renatorum ſuperſint, non ex impotentia DEi renovantis, ſed ex capacitate hominum actionem DEi recipientium Rom. VII. 14. 15. VIII. 3. fieri neceſſum eſt, ut in dictis, cogitatis & factis Sanctorum plurima ſint, qvorum, ſive qvà res ipſas, ſive qvà circumſtantias, ſive ante, ſive poſt, ſive in ipſa commiſſione, obliqvitas vel non cognoſcatur, vel propter inadvertentiam, ut loqvuntur Moralium Magiſtri, negligatur. Et hæc ſunt iſta נִסְתָּרוֹת *occulta*, qvorum in qvotidiana pænitentia veniam orant fideles cum Davide; qvi cùm v. 12. (h. Pſ. XIX) dixerat ſe *commonefactum judiciis DEi*, qvæ ſibi erant deſideratiſſima dulciſſimaq; v. 11. mox hoc, qvod expendimus, ſubjunxit v. 13. *Delicta qvis intelligit? ab occultis me abſolve*, נַקֵּנִי.

§. 11. Eſt illud verbum נקה in conjug. Pihel ejus ſignificati, qvod apprimè ad rem noſtram facit, *innocentem declarare, vel impunitum abſolvere* 1. Reg. II. 9. Job. IX. 28. præcipuè Job. X. 14. *An, ſimul ac pecco, obſerves me? & ab iniqvitate mea non* תְנַקֵּנִי *innocentem declarabis me?* Ubi paulò ante dixerat, *an iſta recondidiſti in animo Tuo?* ac ſi tum Deus innocentem aliqvem habet, cùm delicta ejus in animo ſuo non recondit, ſed potiùs obliviſcitur & ex animo ſuo delet, & poſt tergum projicit, ut Eſ. XXXVIII. 17. Scilicet, hæc eſt ex gratia DEi felix renatorum conditio, qvòd certiſſimè ſciant pec-

 cata

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

cata infirmitatis ſuæ facilem apud Deum veniam conſeqvi, nec ſibi in condemnationem cedere: non qvòd per ſe levia ſint; *nihil en. leve æſtimatur, qvô* Deus *læditur*, ut loqvitur Salvianus *de gubern.* D*Ei l.* 6. nec propter miſericordiam aliqvam DEi abſolutam, qva, absq; ſatisfactione juſtitiæ ſuæ præſtita, nolit hujuscemodi peccatis offendi. Abſit hæc a piis mentibus opinio! Libenter utimur hìc verbis Bezæ *in Not.* 1. Joh. V. 16. *Miſericors eſt fateor* Deus *(imò ipſa clementia, bonitas, miſericordia; alioqvin, qvid nobis fieret?) ſed qvisqvis putat* Deum *ita eſſe miſericordem ut poſſit venialiter offendi (ut ajunt;) ita, inqvam, eſſe miſericordem, ut juſtitiæ ſuæ ad ultimum usq; qvadrantem ſatisfieri nolit, idolum pro* Deo *amplectitur.* Nihil verius: & hinc rogat David, Domine *abſolve me* נַקֵּנִי vel *emunda me*, ſicut verbum illud ſignificat Joel. IV. 13. Reſpicit en. emundationem per ſangvinem victimarum typicum, cujus antitypus Meſſiæ ſangvis *mundat nos* ab omni peccato 1. Joh. I. 7. Conf. Pſ. LI. 9. Scimus, etiam peccata infirmitatis בִּשְׁגָגָה non fuiſſe condonata in V. T. absq; ſacrificio expiatorio Num. XV. 27. 28. Et ſic qvoq; peccata ex ignorantia commiſſa, Lev. IV. 13. 14. 22. 23. 27. 28. Nec aliter David h. l. certus ſe, qvantumvis *ſervum* D*Ei*, qvantumvis ſe teſtimoniis judiciisq; DEi delectantem, & ſecundùm eadem cautè ambulantem, non eſſe tn. immunem a lapſibus & peccatis *qvotidianæ incurſationis* (ut vocat Tertullianus in *lib. de pudicit.*) ab iis verò vel per ignorantiam, vel incogitantiam inter freqventiſſimas tentationes præoccupari poſſe, precatur Deum, qvandoqvidem etiam inſcius vel invitus iſtiusmodi ſordes ſæpè ſæpiùs contrahat, velit ſæpè ſæpiùs ſe ab iis per aſperſionem ſangvinis Chriſti emundare: *ab occultis delictis emunda me.*

§. 12.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

§. 12. Qvemadmodum autem Viatoribus accidit, qvi per lutulentam ſemitam ingrediuntur; per ſingulos qvidem greſſus ſibi cavent, ut qvàm minimè fieri poſſit luto ac ſordibus conſpurcentur; at, ſicubi fortè inter eundum lacunam offendunt aut præcipitium, ſubitò pedem referunt, de tutiore qvavis via, qvantumcunq; etiam futura ſit moleſta, proſpicientes, modò periculum evadant, qvod ante oculos obverſatur, ne vel profundiore luto immerſi hæreant, vel præcipiti lapſu abripiantur. Ita comparatum eſt cum ſanctis, qvamdiu in via ſunt ad patriam. Sciunt ſe non futuros a maculis puros; hinc cum Davide orant, *munda nos* ab illis Domine. Sed interim graviores lapſus pertimeſcunt, & hinc qvoq; cum Davide ab iis ſervari & *ſubtrahi* rogant Divinô auxilio. Sic en. *ſecunda* petitionis Davidicæ pars ſonat: גַּם מִזֵּדִים חֲשֹׂךְ עַבְדֶּךָ אַל יִמְשְׁלוּ בִי אָז אֵיתָם וְנִקֵּיתִי מִפֶּשַׁע רָב׃, *Inſuper a contumaciis retrahe ſervum Tuum, ne dominentur in me; tunc integer ero: imò inſons ero à defectione magnâ.* Tria hìc conſideranda veniunt: (1.) Objectum petitionis זֵדִים peccata *contumaciæ*: (2.) Petitio ipſa, *tum* qvoad rem, ne prorſus permittat Deus ipſum in illa prolabi: *ſubtrahe ſervum tuum a peccatis contumaciæ: tum* qvoad *modum* a re ipſa inſeparabilem; qvippe qvòd fieri neqveat, ut talia peccata aliter ſe habeant, qvàm cum dominio in totum hominem; itaq; rogat, ab iſtis peccatis cohibe me, *ne dominentur in me.* (3.) Rationes petitionis binæ, *prior* a ſtatu petentis deſumta: cùm enim erat *Dei ſervus*, ideò eum maximè iſta peccata voluntaria dedecebant, hinc ait: ab illis ſubtrahe *Servum Tuum: poſterior* a fructu ſperati beneficii: nam, ſi ab hujusmodi peccatis eorumq; dominio immunis conſervaretur, fore, ut per gratiam DEi non modò *rectus*

&

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

& innocens in divino judicio conſiſteret: *tum integer ero*: ſed & a totali & finali apoſtaſia præſervaretur: imò *inſons ero à defectione magna*. Sumemus hinc momenta præcipua, ad naturam peccatorum (qvæ ſic dicuntur) *mortalium*, eorumq; a *venialibus* ſic dictis differentiam indagandam.

§. 13. Appellantur hìc *mortalia peccata* זֵדִים *contumaciæ*; LXX. Interpretes, errore ipſis perqvam familiari, ob ſimilitudinem literarum ד & ר in vocibus זֵדִים & זָרִים, reddiderunt ἀλλότρια. Eos more ſuo ſeqvitur Vulgatus, legens *ab alienis parce*: qvaſi hìc nihil ultra peteret Rex Propheta, qvàm ſervari à communicando peccatis alienis. Atq; adeò apud Patres paſſim huc tendit h. loci expoſitio, ut videre eſt apud Auguſtinum in Enarrat. h. l. *Delicta, inqvit, mea inqvinant me, delicta aliena affligunt me, ab his munda me, ab illis parce. Tolle mihi ex corde malam cogitationem, repelle à me malum ſvaſorem: hoc eſt, ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſervo Tuo.* Fatendum certè, & hanc qvotidiana deprecatione dignam eſſe materiam. Sed non reſpondet ad literam Textui originali, qvi conſtantiſſimè habet non זרים ſed זדים, qvod eſt a rad. זוד *ebullire*, *ſuperbire*, vel *ſuperbè*, *temerè*, *& deditâ opera malum agere*. Conf. Ex. XVIII. 11. XXI. 13. 14. Jer. XLIX. 16. L. 29. Unde maſcul. זֵד *ſuperbus*, *temerarius*, *contumax*, plurale maſc. vel neutrum זֵדִים *ſuperba* vel *contumacia*, ſc peccata, qvæ a ſcientibus & volentibus inſolenter fiunt. Vocem Ebræam retinet & imitatur Targum זידניא reddens. Et ſic qvoq; oculatisſimi vertunt Interpretes, etiam inter Veteres Hieronymus, non diffitente Bellarmino. Militat præterea pro hac verſione *tum* conſtantiſſima Codicum Ebræorum lectio,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

ctio, *tum* Rabbinorum concordia, *tum* vel maximè ipſius Textus συναφεία. Non tantùm en. ipſe Propheta illa peccata, a qvibus immunis conſervari petit, peccatis aliis, a qvibus cùm præſervari immaculatus neqveat, ſaltem mundari deſiderat, luculenter contradiſtingvit: ſed etiam deſcribit iſta זֵדִים *ſuperba peccata*, qvòd dominentur in peccatorem: qvòd ideoq; per illa non liceat peccatori manere in ſtatu gratiæ juſtificantis & ſanctificantis. Rectiſſimè proinde B. Chemnitius To. III. LL. p. 115. *b. de diſcr. pecc. c.* 1. זֵדִים exponit de peccatis voluntariis animô præfracto commiſſis: eundemq; in ſenſum Vatablus, Junius, Piſcator reddunt: *à contumaciis*. Legimus en. phraſi Davidicâ vocem eam uſurpari de iſtiusmodi *ſuperbis*, qvi ſunt *maledicti*, *errantq; à præceptis* DEi, qvia non ea deſiderant Pſ. CXIX. 20. 21. qviq; *nolunt ſe conformare* Legi DEi v. 85. Sic & זדים Jer. XLIII. 2. appellantur iſti homines, qvi reſtiterunt Jeremiæ, nolueruntq; verbo DEi per ipſum nunciato acqvieſcere. Conf. Eſ. XIII. 11. Mal. III. 17. & IV. 1. ubi οἱ זֵדִים *ſuperbi* conjunguntur cum τοῖς עֹשֵׂי רִשְׁעָה *facientibus iniqvitatem*: planè ſicut phraſi Johannæâ ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν dicitur eſſe a Diabolo, & contradiſtingvitur τῷ γεγεννημένῳ ἐκ τοῦ Θεοῦ, qvi, qvà talis, ἁμαρτίαν οὐ ποιεῖ 1. Joh. III. 8. 9. Atq; aliud eſt *peccare*, qvod & in renatis locum habet ibid. c. I. 8. II. 1. aliud ἐργάζεσθαι τὴν ἀνομίαν, qvod eſt impiorum Matth. VII. 23. Illud eſt infirmitatis, hoc malitioſæ præſumptionis & contumaciæ.

§. 14. Notavimus jam antè, *tum* qvòd, *tum* qvomodo peccata infirmitatis & ignorantiæ ſint involuntaria; qvoad *carnem* ſc. hærente vitio vel in affectibus vel in intellectu, qvoad *Spiritum* verò durante luctâ. Ceſſat utraq; ratio

in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

in *peccatis contumaciæ* & *arrogantiæ :* ceſſat lucta ſpiritus, qvia caro non tantùm patitur invita, vel agit præoccupata affectibus & œſtrô vehementi concupiſcentiæ ſolicitantis captivata ; ſed inſuper datô deliberandi ſpatio, & intellectu pleniùs informato contra ſcientiam & conſcientiam operatur, excluditq; vel rejicit ſanctas Spiritus ſuggeſtiones: atq; adeò plenâ voluntare peccat. Certè, ſi *involuntarium minuit de ratione peccati*, qvod rectè ajunt caſuum conſcientiæ Doctores: ſi, *qvò qvisqvis meliùs ſapit, eò deteriùs delinqvit* ut habet Gregorius *in Paſtorali:* utiq; vel hinc cognoſcitur diſcrimen peccatorum è peccantis maximè voluntate pendere. Statuit hos fines ipſe ſummus Legiſlator Num. XV. cum diſtingvit inter eos qvi peccant בִּשְׁגָגָה *per errorem*, & eos qvi peccant בְּיָד רָמָה *manu elata*, ſ. ἐν χειρὶ ὑπερηφανίας, ut reddiderunt οἱ LXX. v. 27. 30. Qvale peccatum non poteſt non cum contemtu DEi eſſe conjunctum, ſicut dicitur ibid. & v. 31. *Jehovam afficit ille probro, & verbum Jehovæ ſpernit, irritumq; reddit ejus mandatum.* Qvæ cauſa eſt excuſſionis Spiritus & fidei omnisq; gratiæ divinæ. Triſtiſſimum hujus rei exemplum præbuit ipſe David 2. Sam. XI. per cædem Uriæ. Minimè en. erat Legis, de non occidendo innocente, ignarus: nec neſciebat innocentem eſſe Uriam. Minimè qvoq; ſubitô aliqvo iræ ferventis aut vindictæ æſtu ad injuſtum hoc facinus abreptus erat, ſicut æſtu ſubitaneæ libidinis ad adulterium committendum incitatus: qvamvis tn. per hoc non extenuetur commiſſum adulterium, niſi *in tantum*, & ſolummodo in comparatione cum ſeqvente homicidio. Sed habebat tempus ſpatiumq; deliberandi; imò, qvia habebat, & agnoſcebat facinoris magnitudinem, aliâ potiùs viâ palliare patratum cum Bathſebâ ſcelus tentabat. Interea obſtabat mariti integritas,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

qvi, ututinjuriæ neſcius, a ſtatione ſua in palatio regio ad lares ſuos & familiarem cum uxore conſvetudinem divertere turpe ducebat. Tum demum Rex, ne ſic qvidem à conſcientia victus, & videns non profuiſſe ſibi iteratas machinationes, ne diutiùs fama ſuæ caſtitatis periclitaretur, adhibito ultimo rationis conſiliô, maluit prorſus de gratia divinâ periclitari, qvàm non deſignare Uriam ad cædem, eandemq; executioni mandare.

§. 15. Voluntaria ejusmodi peccata qvàm funeſtos habeant effectus, eôdem Davidis exemplo patet. (1.) Amiſit vitam ſpiritualem, qvam in regeneratione acceperat. Sicut enim, cùm vita animalis ab homine fugit, ſine motu & ſenſu inanimis jacet; ſic amiſſæ vitæ ſpiritualis evidentiſſimum in Davide ſignum fuit, qvòd graviſſimum illud conſcientiæ ſuæ inflictum vulnus per diuturnam temporis moram nullo veræ pœnitentiæ motu ſentiret. Qvamvis en. fortè per novem integros menſes inde ab adultero concubitu, & per 7 aut 8 menſes inde a cædis Uriæ nefaria procuratione, non omiſerit externum in Templo cultum, audiendô Legem, cantandô, orandô, & ſacrificia offerendô: qvamvis item ſenſerit interea ſat moleſtos conſcientiæ aculeos, (qvales & in homine gentili, minimèq; renato dantur Rom. I. 32. II. 15.) nullâ tn. vera & ſalutari pœnitentia ducebatur, qvippe qvi amiſerat fidem & Spiritum S. Pſ. LI. 12. 13. 14. 18 19. ſed tota pœnitentiæ ſpecies erat ex hypocriſi. Coràm hominibus namq;, qvos tn. etiam ſcandalô dato offenderat, videri volebat non peccâſſe: ideoq; nec ullo indicio publico aut privato animi ſui, ob tantum lapſum, ægritudinem ſignificabat. Deum v. ipſum in peccati communionem trahere velle videbatur, & *fingere* ſibi *ſurdum*, *ac cæcum*, vel *prorſus ſui ſimilem*, ut impius Pſ. LI. 21. hinc neq; ut ultorem ſeria

 pœni-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

pœnitentiâ placare ſtudebat, neq; ut conſcium intimo cordis affectu plus timebat, qvàm homines. Et hinc (2.) arguitur *de contemtu* DEi, qvô-cum non tantùm ſciens volensq; deliberatô animo peccaverat, ſed &, peccatô commiſſo, mali periculoſiſſimi curam neglexerat. Objecit ei Deus per Prophetam: *ſpreviſti verbum Jehovæ, faciendô malum in oculis ejus*, 2. Sam. XII. 9. conf. v. 10. Noverat en. præcepta DEi optimè, imò maledictionem ex transgreſſione ſecuturam; noverat ab oculis omnia videntis DEi ne cogitationes qvidem abſconditas eſſe, nedum facta: & tn. voluit facere, qvod libidini carnis placere cæperat, imò, *remoto ab oculis ſuis timore Domini* Rom. III. 18. fecit, qvod fieri ſciebat *in oculis Domini*. Et veritus qvidem eſt homines adeò, ut omni modo facinora ſua coram iis occultare ſtuderet; interea non veritus eſt Jehovam. ut *in oculis ejus* ea non perpetraret. Qvantus a. hic contemptus? qvæ frons inverecunda? Erant revera hæc peccata Davidis זֵדִים *contumaciæ*. Nec dubitandum (3.) hic exulâſſe S. Spiritum ejusq; effectum, fidem ſalutarem. Qvi en. repulerat bonam conſcientiam, qvomodo non fidei naufragium faceret 1. Tim. I. 19? Hac amiſſâ, qvid mirum, qvòd (4.) fuerit extra gratiam, & ſub reatu mortis ac condemnationis æternæ. Indicabat hoc terribilis Prophetæ vox: *Tu es vir ille* filius mortis, v. 5. 7. Phraſi Ebræa *filius mortis*, eſt mortis reus, morti adjudicatus: cui verò morti? an tantùm illi temporali, qva ſontes plectebantur? Neqvaqvam. Neq; en. in foro humano inter Judæos rapinæ & furto, de qvibus qvæſitus Rex reſponderat, capitale ſupplicium dictabatur. Neq; vel *hyperbolica* erat ſententia mortis, qvam pronunciaverat Rex, ut vult R. Kimchius; vel *præcipitata*, ut putat Sanctius aliiq;; ſed *partim* judicii civilis, qvoad compen-

ſati-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

ſationem qvadruplam, *partim* judicii divini qvoad reatum mortis. Multa etenim ſunt in foro divino mortalia peccata, qvæ in foro civili vel humano nullo vel exiguo damno mulctantur. Qvapropter & Propheta Nathan capitalem ſententiam a Davide latam prudentiſſimè de judicio divino aſſumſit, in ipſum retorqvens: *Tu es vir hic morti adjudicatus.* Accedit, qvòd grande piaculum fuiſſet Nathani, ut civi, de Rege ſuo morte afficiendo loqvi, ſi non de foro divino ſed humano pronunciâſſet. Itaq; mox reſipiſcenti expoſuit: *Jehova abſtulit peccatum tuum, non morieris* v. 13. Deus utiq;, pœnitenti culpam condonans, non remiſit moriendi neceſſitatem, qvæ piis juxta impiisq; incumbit, ſed pœnam mortis æternæ, qvæ omninò ſecutura fuiſſet, niſi per veram pœnitentiam in gratiam rediiſſet. *David obtinuit veniam, reſtituta eſt illi ſalus, imò revocata vita qvam amiſerat:* item: *durioris atq; æternæ mortis veniam ei conceſſit Deus:* Sic explicat Sanctius, poſt Abulenſem, Lyranum, Cajetanum & Serarium: & inter Rabbinos Kimchius: *non morieris morte impiorum, ut deſcendat anima Tua in gehennam, juxta judicium peccantium.*

§. 16. Revertimur ad textum Pſalmi. Orat David Dominum, à peccatis iſtis voluntariis *abſtrahere* ut velit *Servum ſuum:* חשך ait, i. e. *abſtrahe*, vel *retine* eum, qvi aliàs rueret proclivis incitante ac impellente concupiſcentiâ. *Qvi ſibi videtur ſtare, videat ne cadat* 1. Cor. X. 12. Sic David, licèt *Servus* DEi i. e. in ſtatu gratiæ exiſtens, diffidebat naturæ ſuæ, qvam noverat, ſi ad momentum ſaltem auxiliis gratiæ deſtitueretur, omni impetu in ſumma flagitia ruituram, non ſecus ac *eqvus præceps ruit* in prælium Jer. VIII. 6. Noverat eam, ſibi relictam, ſimilem eſſe brutis intelligentiæ expertibus, qvorum ora

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

frænis & habenis conſtringenda ſunt, qvò retineantur Pſ. XXXII. 9. Niſi potenti manu DEi in officio retinemur, facilè per omnia vitiorum præcipitia prolabimur. Retinemur a. manu illa potenti DEi, qvæ in verbo nos ducit Eſ. LIII. 1. & hoc medio retinemur a Spiritu S. qvi in fidelibus *habitat*, eosq; *ducit*, imò eorum ταῖς ἀσθενείαις συναντιλαμβάνεται Rom. VIII. 9. 14. 26. Cuius ἀντιλήψεως modum infrà exponemus. Sic ab impia vindicta de Nabale ſumenda Deus *retinuit* vel cohibuit eundem Davidem 1. Sam. XXV. 34. Hæc *prima* petitionis pars. Seqvitur *altera*, qvæ exponit periculum iſtiusmodi אַל־יִמְשְׁלוּ־בִי ׃ זֵדִים *ne dominentur mihi*. Scilicet omne peccatum, qvod contra conſcientiam a ſciente & volente admittitur, eſt peccatum regnans. Ut adeò ἐν διὰ δυοῖν ſit, qvod petit David: ideo en. reformidat maximè τὰ זֵדִים, peccata ἐκ προαιρέσεως & voluntariæ malitiæ, qvia *dominantur* in peccatorem, eumq; ex *Servo DEi* faciunt *Servum Diaboli:* & ideò dicuntur *dominari*, qvia in volentibus & conſentientibus exiſtunt: expulſo en. Spiritu, qvi hactenus reluctatus erat, jam integræ voluntatis ſola *dominantur in aula:* qvod de immundis Spiritibus in parabola docuit Salvator Luc. XI. 25. 26. Illuſtris eſt obſervatio Chryſoſtomi, (qvem & ſeqvitur Theodoretus) ad verba Apoſtoli Rom. VI. 12. Μὴ βασιλευέτω *ne regnet peccatum in mortali corpore veſtro.* Obſervat Apoſtolum libratiſſimo vocabulo uſum, qvòd non dixit μὴ τυραννείτω ἡ ἁμαρτία, ὅπερ ἀνάγκης ἦν, ſed μὴ βασιλευέτω, δεικνὺς ὅτι οὐ βίᾳ ἢ ἀνάγκῃ κατεχόμεθα ὑπὸ τῆς πονηρίας, ἀλλὰ ἔχοντες. Tyrannis eqvidem premit etiam invitos, regnum v. exiſtit iis volentibus, qvibus imperatur. Dominium itaq; peccati ſupponit plenum voluntatis conſenſum: ut, cùm homo non jam ex infirmitate, nec ex ignorantia, nec cum lucta, cujus effectus immedi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

ata diſplicentia & pœnitentia extemporalis, delinqvit; ſed cum plena ſcientia & voluntate, ſusq; deq; habitis internis Spiritus motibus & ſuggeſtionibus, tantùm ut carni ſatisfaciat, & oculis conſcientiæ ad dictamina legis, qvæ ſponte ſe offerunt, prorſus conniventibus, Deum offendit. Hìc certè ita dominatur vel regnat peccatum, ut ſuccumbat Spiritus; qvi qvidem primò in impari illo certamine per delectationem moroſam *contriſtatur* i. e. actiones ſuas intermittit, ut vix ac ne vix qvidem ſentiatur, Eph. IV. 30. mox autem per προαίρεσιν & plenarium peccatoris iniqvitati operantis conſenſum amittitur & prorſus excutitur. Excuſſo v. Spiritu, ſimul amittitur donum ejus præcipuum fides, h. e. filialis & fiducialis divinæ paternæq; gratiæ propter meritum Chriſti apprehenſio Rom. VIII. 14. 15. 16. Gal. IV. 9. O triſte dominium! o execrandam ſervitutem!

§. 17. Id qvod diximus de dominio ejusmodi peccatorum, confirmatur a *ratione* petitionis Davidicæ, qvam deſumſit *partim* à *ſtatu* ſuo, in qvo ſe conſiderabat ut renatum, *partim* ab *effectis* & *conſeqventibus* ejusdem ſtatus, qvibus contraria omnia ex dominio peccati neceſſariò ſecutura prævidebat. Statum indicat unica voce עַבְדֶּךָ; *à contumaciis retrahe* עַבְדֶּךָ *ſervum tuum*, idq; *ne dominentur in me:* qvaſi dicat: ab iſtis peccatis niſi retraxeris vel cohibueris me, qvi jam ſum *tuus ſervus*, certè *dominabuntur in me*, & ſic deſinam eſſe *ſervus* Tuus. Qvomodo renati ſint Servi DEi, in oppoſitione ad Servos peccati & Diaboli, clarè exponit divina Epiſtola Rom. c. VI. Nempe ante regenerationem & acceptas a DEo vires ad ſerviendum ei, homo non eſt niſi *ſervus peccati.* Poſt regenerationem v. ubi *auſcultaverit ex corde formæ doctrinæ, in qvam traditus eſt, liberatur a peccato* i. e. a

Ser

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

ſervitute peccati, & *ſervus fit juſtitiæ* v. 17. 18. In illo ſtatu *ſiſtuntur membra ſerva impuritati & iniqvitati ad* patrandam *iniqvitatem:* in hoc *ſiſtuntur membra ſerva juſtitiæ ad ſanctimoniam* v. 19. Illic *fructus* eſt vita *pudenda*, *finis* v. *mors:* hìc *fructus* eſt *ſtudium ſanctimoniæ*, *finis* a. *vita æterna* v. 21. 22. Hoc itaq; in ſtatu David ſe appellat *ſervum* DEi, ut alibi ſæpè & in primis Pſ. CXVI. 16. *Sum ſervus Tuus*, Domine, *ſum ſervus Tuus*, *filius ancillæ Tuæ.* Et, qvia talem ſe eſſe gloriatur, imò permanere ex animo deſiderat, Deum ardenter orat, ſe ut cohibeat a peccatis illis, qvæ non modò ſervum DEi planè non decent, ſed & à ſtatu hoc feliciſſimo deturbare poſſunt. Sciebat utiq; Dominum ſuum DEum non eſſe σκληρὸν κύριον, qvi *meteret ubi non ſeminaverat*, qvod pro excuſatione afferebat ſervus neqvam Matth. XXV. 24. 26. eſſe tamen juſtum, qvi, *qvò plus dederit*, *hoc plus a ſervo reqviret* Luc. XII. 48. Juſtitiam a. illam acceperat eſſe diſtrictam adverſus illos qvi ſunt ſub lege tantùm, ἐπιεικῆν v. & moderatam erga illos, qvi ſunt ſub gratia. Hærebat adeoq; in mente Davidis aphoriſmi ſenſus, qvem renatis proponit Apoſtolus Rom. VI. 14. *Peccatum vobis* (non ait, *non adhærebit*, ſed) *non dominabitur*, *non en. eſtis ſub Lege*, *ſed ſub gratia.* Sicut ergò herus mitis & ἐπιεικὴς ad multa παροράματα ſervi, imò ad multa παραπτώματα ejus connivet, qvalia vel per ignorantiam, vel per meram oſcitantiam ſervus alioqvin bonus & fidelis committere poteſt: ita, ubi eum idem ſervus offendit animo inſolenti & obſtinatô, non qvòd voluntatem heri non exactè ſciat, ſed qvòd velit ſuum ſeqvi genium, ſpretô neglectoq; Domino, juſtè profectò hic irritatus ſervo contumaci indignatur, eumq; a ſe propellit, nec recipit poſtea niſi verè dolentem. Rectè Seneca *L. de*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

Ira c. 16. *Idem delictum in duobus non eôdem modo officiet, ſi alter negligentiam admiſit, alter curavit, ut nocens eſſet.* Sic, qvi Servus DEi eſſe cupit, ſciat omnino, unicô peccato contumaciæ, præſumtionis vel deliberatæ malitiæ magis exaſperari Spiritum S. Domini ſui gratioſi, citiusq; & graviùs juſtam ejus in ſe provocari indignationem, qvàm omnibus delictis aliis ab ignorantia & infirmitate proficiſcentibus.

§. 18. *Effectus & conſeqventia* ſtatus Servorum DEi notantur, qvòd, qvà tales, ſint (1.) *integri* & innocentes coram DEo, (2.) *inſontes à defectione magna*: אָז אֵיתָם וְנִקֵּיתִי מִפֶּשַׁע רָב; *tunc integer ero, & inſons a defectione magna.* (1.) Ait, אז איתם *tunc integer ero*, fut. paſſ. Niphal a תָּמַם, cum י Epenthetico, loco abſentis ob metrum Dageſch compenſativi literæ נ characteriſticæ. Inde תם & תמים *integer*, *perfectus*, *ſimplex*; qvô titulo Sanctos homines Scriptura ornavit, Noam Gen. VI. 9. Jobum c. I. 1. Davidem Pſ. XVIII. 24. Qvomodo verò integer eſt, qvi multoties delinqvit? qvomodo David, hoc de ſe confeſſus, integritatis notam affectat, hac ſaltem conditione, ſi à peccatis contumaciæ eorumq; dominio conſervari poſſit? Eqvidem hoc operæ pretium eſt, rectè ut teneant fideles. Eſt ſcil. in renatis integritas qvædam non graduum, ſed partium, non Legalis, ſed Evangelica. Hæc a. fide ortum habet, qvâ *tum* obedientia renatorum, licèt imperfecta, placet DEo 1. Pet. II. 5. *tum*, qvicqvid in ea deeſt, ſuppletur ἐκ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ Joh. I. 16. Hemmingius noſtras in Joh. III. 22. *dulciſſimam* hoc appellat ἐπιείκειαν *divinæ Legis, qvòd Deus, clementiſſimus Pater, obedientiam noſtram qvalemcunq; acceptet, donec retineamus bonam conſcientiam.* Pariter ſen-

 tiunt

tiunt & loqvuntur Doctores noſtri alii. Peccata certè infirmitatis, ignorantiæ & ἀκέσια (Auguſtino *in Enchir. c.* 71. dicta *qvotidiana, brevia leviaq;, ſine qvibus hæc vita non ducitur*, & Tertulliano l. cit. *peccata qvotidianæ incurſationis*) licèt renatis per omnem vitam adhæreant, juxta illud 1. Joh. I. 8. non tamen renatos a ſtatu gratiæ excludunt, qvoniam fiunt non pleno cum conſenſu, ſed renitente Spiritu, & cum diſplicentia immediataq; pœnitentia; ut verè dicere poſſint cum Paulo fideles, *id qvod volumus, non agimus; & qvodſi facimus, qvod nolumus, non ampliùs nos id facimus, ſed peccatum nobis inhabitans* Rom. VII. 19. 20. Dicuntur venialia, non qvòd in ſe levia ſunt, (licèt ſic qvoq; a nobis appellari poſſint cum Auguſtino l. cit. in comparatione ad graviora: nec qvòd non ſint morte digna, ſi Deus ex rigido jure nobiſcum ageret & absq; miſericordia: nam *væ etiam laudabili hominum vitæ, ſi remotâ miſericordia diſcutiatur*, ait Auguſtinus *L.* 9. *Conf. c. ult.* nec qvòd veniam impetrare poſſint tandem, accedente ſeriâ pœnitentia: ſed qvòd veniam actu ipſo inveniant, ex pacto gratiæ Evangelicæ in Chriſto Jer. XXXI. 33. 34. Nam *arundinem qvaſſatam non franget, & ellychnium fumigans non exſtingvet* Eſ. XLII. 1. Verè itaq; ſunt peccata, qvia ἀνομίαι, 1. Joh. III. 14. ſed *non condemnantur in iis qvi ſunt in Chriſto* Rom. VIII. 1. Imputantur iis qvi ſunt ſub ira, non iis qvi ſunt ſub gratià; illis qvidem qvia ſunt absq; Chriſto, extra pactum Joh. III. 36. Eph. II. 12. his non item, qvia ſunt in Chriſto, qvem per fidem induerunt, qvi eſt propitiatio pro eorum peccatis, factus ipſis juſtitia, & intercedit pro ipſis ſemper Gal. III. 27. 1. Joh. II. 2. 1. Cor. I. 30. Ebr. VII. 25. Rom. VIII. 34. Summa rei eſt, qvod docuit B. Lutherus: diſcrimen peccati venialis & mortalis non deſumi a ſubſtantia pec-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

cati, ſed a perſona agentis. Cæterùm, de hoc diſcrimine, cùm aliàs, qvantum ſatis, egimus *Diſſert. IV. de Fund. fid. & ſal.* §. 18. 19. nolumus hìc actum agere. Sufficit ex verſu hoc 14. Pſ. XIX. qvem hac vice expendimus concludere: Qvæcunq; delicta non procedunt a pleno voluntatis conſenſu, ita ut dominentur in hominem, ea non ponunt renatum extra ſtatum gratiæ, & integritatis in Chriſto: Peccata infirmitatis, ignorantiæ, ita, Ergò. Sic & David alibi & præcipuè Pſ. XVIII. 22. 23. 24. *integrum ſe* dicit *coram Jehova*, non qvòd planè ſit absq; peccato, ſed qvòd *non improbè ſe avertit a DEo ſuo, nec ſtatuta ejus a ſe removet, cavet* autem *ſibi ne iniqvè agat.*

§. 19. Seqvitur alterum effectum ſeu conſeqvens ſtatus renati qvà talis, vel *Servi DEi*, per nullum peccatum malitioſum & regnans interrupti: nempe ונקתי מפשע רב *& inſons ero à defectione magna.* Dietemberg. vertit, und ich werde gereiniget von der allergröſten Sünde/ *præmunitionem a peccato commiſſibili confundens cum emundatione à peccato jam commiſſo*, ut obſervat D. Gejerus h. l. Qvæ eadem cenſura ferit Vulgatum, qvem κατὰ πόδα ſecutus eſt Dietembergius. Vox פֶּשַׁע *defectionem*, ſ. *rebellionem* præcipuè ſignificat, ut videre eſt 2 Reg. VIII. 1. & 1 Reg. XII. 19. unde Kimchius ait hanc vocem denotare *excuſſionem poteſtatis herilis & contemtum mandati ſuperiorum.* Vid. & Mardechai in *Concordantiis.* Nec putandum eſt in tam brevi ſententia ταυτολογεῖν Prophetam, qvaſi idem valeret פֶּשַׁע qvod זדים. Sunt en. duo membra. ἔκθεσιν & ἀπόδοσιν continentia, qvorum unô dato ſeqvitur alterum. Qvod (1.) accentus Regii diſtinctivi Atnach & Silluk in eodem verſiculo indicant, (2.) Particula אז ἀπόδοσιν inchoat, *tunc integer ero, imo inſons a defectione magna,* nempe *ſi retraxeris me* מזדים *a peccatis voluntariis.*

 Nec

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

Nec differt ab hoc uſu cauſalis ejusdem particulæ ſignifica-tio, qvam h.l. tradit B. Noldius in *Concord. partic. Ebr.* Non minùs en. eſt ἀπόδοσις, ſi vertis: *a peccatis voluntariis retrahe ſervum tuum*, qvò *integer ſim & inſons* &c. (3.) Etiamſi פשע communi Interpretum meliorum exiſtimati-one ſit non ſimplex & qvaliscunq;, ſed malitioſa & teme-raria defectio, ut parum aut nihil differre videretur ἀπὸ τῆς זְדוֹנָה vel τῶν זדים: tamen ultrà adhuc intenditur ſignifi-catio per additionem vocabali רב: dicitur enim פֶּשַׁע רָב de-fectio magna. Notum a. eſt illud רַב eſſe & qvalitatis & qvantitatis, ejusdemq; tam continuæ, qvàm diſcretæ: ideoq; & reddi poteſt, *defectio multa* vel *multiplex*. Hinc Arabs legit مِنْ عِظَمِ خَطِيَّتِي *a magnitudine pecca-ti mei*, Syrus vero ܡܢ ܣܟܠܘܬܐ *a peccatis*, LXX. ἀπὸ ἁμαρτίας μεγάλης. Targ. מחוֹבָא רַבָּא *a delicto magno*. Luth. groſſer miſſethat. Qværitur ergò qvodnam hìc intelligatur peccatum magnum? Auguſtinus, Beda aliiq; *de ſuperbia* explicant. peccatorum maximo, & fonte; *qvod dejecit Angelum, & ex Angelo fecit Diabolum.* Nos præ-miſſâ diſtinctione, & applicatâ phraſeologia Scripturæ for-ſan rectiùs ſenſum attingemus. Itaq;, cùm omnis qvidem transgreſſio Legis ſit defectio a Lege 1. Joh. III. 14. defecti-o tamen omnis vel eſt *materialis* tantùm, ut in delictis ἀκουσίοις: qvalis defectio erat 200 virorum, qvi Hieroſoly-mis abierunt cum Abſalone rebelli, *vocati qvidem ſed e-untes integrô animo, nec ullius rei conſcii* 2. Sam. XV. 11. vel ſimul *formalis* ut in ἑκουσίοις & προαιρετικοῖς. Hæc a. vel eſt *totalis* vel *finalis*. *Totalis* vel ratione *fiduciæ* tantùm, ut partis fidei principalis: vel ſimul ratione notitiæ & aſ-ſenſus articulorum fidei. *Finalis* iterum, vel ob impœ-

ni-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

nitentiam ſimpliciter, vel ob impœnitentiam cum blas-
phemia & malitioſa mediorum ſalutis rejectione conjun-
ctam: qvæ formaliſſima, ut ita dicam, eſt ἀποστασία. De-
fectio primi generis crebra eſt etiam apud ſanctos, nec in-
eos regno gratiæ excludit. Defectio ſecundi generis, ſ.
formalis, per peccata contra conſcientiam, etiam electos
totaliter, at non finaliter gratia & *fide* Spirituq; Sancto pri-
vat: *fide*, inqvam, ratione fiduciæ, non notitiæ & aſſen-
ſus, privat: hoc en. *eſt illud in lapſis, qvod pœnitentiâ*
ſeqvente revaleſcat ad fidem, ut loqvitur Cyprianus de
Lapſis in perſecutione *Epiſt. ad Anton.* Totalis a. de-
fectio non ratione fiduciæ tantùm, ſed & notitiæ ac aſſen-
ſus iis accidit, qvi per παλιγγενεσίαν qvidem in fædus ſuſcep-
ti fuerunt, ſed poſtea per ſolicitudinem ſeculi hujus ſe-
ductionemq; divitiarum ſemen omne fidei apud ſe ſuffocâ-
runt Matth. XIII. 22. & ut dicitur Deut. XXXIII. 15.
Incraſſatus eſt rectus & recalcitravit, incraſſatus, im-
pingvatus, dilatatus dereliqvit Deum factorem ſuum.
Qvod eſt peccatum indurationis & excæcationis, ἀντιμισθία
τῆς πλάνης, qva juſtè a Deo derelicti afficiuntur Deut. VIII.
28. Eſ. VI. 10. Rom. I. 26. 27. Hanc v. defectionem
in omnibus, qvos non ex ſingulari gratia in viam revocare
ὁ οἰκτίρμων dignatur, finalem fieri, præſertim accedente
ſpeciali in Spiritum S. peccato, nimis proh dolor! cer-
tum eſt.

§. 20. Jam hiſce poſitis, dicimus per peccata זדים,
qvæ qvà talia in hominem regnant, a Davide intelligi de-
fectionem totalem a fiducia & amore ſalutari, per peccata
ἑκούσια, proæretica & contra conſcientiam admiſſa, qvippe
qvæ fidei naufragium, adeoq; gratiæ & Spiritus S. amiſſio
ſeqvuntur 1. Tim. I. 19. Per פשע רב autem ſive *defecti-*
onem magnam credimus a Davide ſignificari *indurationem*,
etiam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

etiam illam qvæ in finali mediorum gratiæ repudiatione & ἀποστασίᾳ conſiſtit. Sic en. diſtinctum videmus פשע ſimpliciter dictum, à פשע רב, ut actum ab incremento vel continuatione actus Amoſ. IV. 4. ubi per ironicam συγχώρησιν Iſraëlitis dicitur פִּשְׁעוּ *deficite*, mox additur הַרְבּוּ לִפְשֹׁעַ *multiplicate vel augete defectionem.* Conf. Job. XXXIV. 37. Imò per τὸ פשע רב rebellionem, & qvi maximus eſt impietatis atq; θεοστυγίας gradus, indicari duo in primis loca evincunt, (1.) Pſ. V. 11. ubi Propheta de ſummè impiis ad Deum loqvitur: בְּרֹב פִּשְׁעֵיהֶם *in multitudine* vel amplitudine *defectionum illorum, impelle eos,* כִּי מָרוּ בָךְ: *qvoniam rebellant in te*, (2.) Jer. V. 6. Propheta de Magnatibus Judæ, רַבּוּ פִּשְׁעֵיהֶם ait, *multiplicârunt defectiones ſuas*, i. e. ut patet ex antecedentibus v. 5. *fregerunt jugum, diruperunt vincula*; & unà cum populo non tantùm *ſtultè agunt, ignorantes viam Jehovæ* v. 4. nec tantùm *non exercent jus, fidemq; reqvirunt* v. 1. ſed & a DEo caſtigati *renuunt accipere eruditionem, reddunt faciem ſuam obfirmatiorem petra, renuuntq; converti* v. 3. Facile ergo eſt colligere, qvantum & qvàm immane periculum ſanctus David ſibi futurum præviderit a peccatis voluntariis & προαιρετικοῖς, niſi ab his ipſum Deus retraxerit. Poterant en. iſta peccata per dominium eorum ipſum ex ſtatu gratiæ deturbare, & ex *Servo DEi* facere ſervum injuſtitiæ ac Diaboli, ita ut amitteretur fides & Spiritus S. nec hoc tantùm, ſed & probè noverat peccata eadem à plena voluntate profecta raró vel nunqvam, niſi repentinam reſipiſcentiæ gratiam Deus ſummè miſericors conceſſerit, ubi cæperũnt ſubſiſtere, ſed, ſimulatq; animam ſemel occupaverint, ad alia atq; alia ſtatim rapere

Luc.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

Luc. XI. 26. 2. Pet. II. 20. *Deſideria Patris veſtri Diaboli vultis perficere*, dictum a Chriſto hominibus ita malè affectis Joh. VIII. 44. Qvò magis cavendum eſt renatis, ne in id flagitiorum ſponte prolabantur, unde exire poſtea neqveant, traditi juſtô DEi judicio in mentem reprobam; unde non poterunt non ex animo delinqvere, atq; in perpetua graviſſimaq; peccandi conſvetudine obdureſcere: qvi qvidem peſtilens habitus, qvò tenaciùs cordis inhæſerit radicibus, altiusq; in penetralia animæ ſe inſinuaverit, hôc faciliùs procreat impœnitentiã ac protervam deſperationem, qvod eſt peccatum in Sp. S. & omnium maximum.

§. 21. Jam itaq; totius ut ſubjungamus petitionis Davidicæ perſpicuam & ſummariam periphraſin; non verebimur eam ex doctiſſimis in Pſalterium Commentariis Joh. Bapt. Folengii Monachi Caſſinatis mutuari: *Non ſpero Domine*, ait David, *ut peccata hoſtes ſcil. mei tollantur omnino à me*, in hac vita; *qvandoqvidem hoc nobis penè à Natura ingenitum eſſè video, ut crebrò labamur: ſed eorum deprecor dominium. Sat mihi ſit illis ipſis carnis neceſſitatibus, qvibus vel ipſi innocentiſſimi viri etiam inviti parent, inſervire; tantùm non ſerviam atrociſſimis illis hoſtibus, qvi ſunt perverſa voluntas, obſtinatio, temeritas, ſuperbia, ambitio, atq; cum cæteris hujus generis monſtris deſperatio. Hôc en, abs Te exoratô, immaculatam perpetuò degam vitam, inſuperq; emundabor à delicto maximo: qvod eſt irrevocabilis in malitia conſvetudo & impœnitentia, i. e. maximum omnium bonorum animæ exterminium.*

Seqvuntur πορίσματα ejusdem argumenti.

1. Nulla peccata, qvantilla etiam videantur, ſuâ natura ſunt venialia, qvippe cùm etiam שגיאות peccata ex merâ infirmitate, & נסתרות ex mera & invincibili ignoran-

rantia commiſſa opus habeant gratioſa DEi propter Chriſtum condonatione, & ſangvinis propitiatorii per fidem applicati emundatione.

2. Dantur in renatis lapſus qvotidiani, inter continuam Spiritus & carnis luctam admiſſi, qvibus tn. regno gratiæ non excluduntur. Nihilô minùs iidem qvotidianam ſanctis ſubminiſtrant materiam, ut certaminis moleſtiſſimi, ita precum ardentiſſimarum Pſ. XXXII. 5. 6. Gal. V. 17. Rom. VII. 22. ſeqq. Atq; hinc veriſſimum eſt, qvod in exordio *Diſp. de Indulgent*. A. 1517. poſuit B. Lutherus: *omnem fidelium vitam eſſe pœnitentiam*. Auguſtinus Retract. L. I. c. 15. *Concupiſcentiæ reatus in baptismate ſolvitur, ſed infirmitas manet, cui, donec ſanetur, omnis fidelis, qvi benè proficit, ſtudioſiſſimè reluctatur.*

3. Ratio peccati venialis non tam deſumenda à ſubſtantia peccati, qvàm à perſona agentis. Qvamdiu en. qvis manet filius DEi, (manet a. qvamdiu agitur a Spiritu DEi, i. e. per dona in regeneratione accepta, qvæ dicuntur *Spiritus*, repugnat concupiſcentiis *carnis*, eamq; mortificat ne dominetur Rom. VI. 12. 13. 14. VIII. 13. 14.) reliqvias illas peccati extemporali pœnitentia deteſtatur, & ſe propter illas non condemnari immotâ, licèt nonnunqvam langvidâ ac debili, fide certus eſſe poteſt, propter miſericordiam Patris, vimq; immenſam ſatisfactionis ac interceſſionis Filii, juxta Rom. VIII. 34. *Qvis eſt. qvi condemnat? Chriſtus* is eſt *qvi mortuus eſt, imò qvi & reſurrexit, qvi & eſt ad dextram DEi, qvi & interpellat pro nobis.*

4. Peccata venialibus oppoſita dicuntur *mortalia* vel mortifera, non tantùm qvòd actu ipſo mortis æternæ condemnationem afferant illis, qvi in tali ſtatu citra pœnitentiam ex hâc vita diſcedunt, ſed in primis, qvòd exſting-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

ſtingvant vitam ſpiritualem regenerationis beneficiò acceptam. Eſt en. Evangelium *Lex Spiritus vitæ in Chriſto Jeſu*; & ipſa regeneratio eſt *vivificatio Spiritus* Rom. VIII. 2. 11. Eph. II. 6. Vivunt a. renati DEo per Chriſtum, i. e. per fidem Chriſti Rom. VI. 11. Gal. II. 20. Habent intra ſe regnum DEi Luc. XVII. 21. qvod eſt *juſtitia, pax & gaudium in Sp. S.* Rom. XIV. 17. Qvamdiu igitur ambulant ſecundùm Spiritum inhabitantem eis, & ab Eo aguntur, retinent vitam Spiritualem: amittunt verò, qvamprimùm ambulant ſecundùm carnem, i. e. carnis curam habent ad libidinem, & auſcultant peccato in cupiditatibus carnis Rom. VI. 12. XIII. 14. Vid. c. VIII. totum. Huc in primis ſpectat aphorismus Apoſtoli ibid. *Si ſecundùm carnem vixeritis, futurum eſt ut moriamini: ſed, ſi Spiritu actiones corporis mortificetis, vivetis.* Confer ſimilitudinem vitis & palmitum Joh. XV. à I. ad 7.

5. Qvamvis verum ſit, qvòd diſtinctio peccati in *regnans* & *non regnans*, propriè loqvendô, ſit diſtinctio peccati originalis, non actualis: æqvè tn. verum eſt, ſimul eſſe & coincidere peccatum regnans & peccatum mortale, ut cauſam & effectum, qvæ ſimul ſunt. Tum en. *regnat peccatum* i. e. concupiſcentia originalis, cùm *ei obeditur*, & *membra ſiſtuntur arma injuſtitiæ* Rom. VI. 12. 13. Contrà v. *non regnat*, ubi Spiritu repugnatur; &, qvamvis externus homo captivetur lege peccati qvæ eſt in membris, voluntas tn. interni hominis non conſentit ſed odit atq; deteſtatur, imò angitur de iſtis delictis infirmitatis Gal. V. 17. Rom. VII. 16. ad 25. Ita intelligendum illud Pauli: *Ipſe ego mente qvidem ſervio Legi DEi, carne verò Legi peccati*, Ibid. v. 26.

6. Adeòq;, licèt nemo renatorum ſit ἀναμάρτητος & integer,

teger, integritate & perfectione Legali: verè tn. omnes renati cum Davide, qvamdiu a peccato voluntario & regnante immunes ſunt, *integros* ſe credunt coràm DEo, integritate ſc. Evangelica. Hoc eſt, dum in gratia & fide perſiſtunt, nullum per peccata contra conſcientiam naufragium fidei paſſi, habent aliqvam juſtitiam propriam, qvæ, licèt inchoata tantùm & imperfecta, placet DEo propter juſtitiam imputatam, qvæ eſt a Chriſto promerita, cujus è plenitudine omnes accipiunt, Joh. I. 16. Conf. Rom. VIII. 3. 4. X. 4.

7. Imò, cùm ad integritatem renatorum Legis obſervatio reqviratur, qværitur an ſervare Legem DEi poſſint? Reſp. poſſe; non qvidem ſecundùm rigorem Legis, ſed ſecundùm ἐπιείκειαν Evangelicam: nec ſuis viribus naturalibus, ſed viribus à Spiritu donatis, qvippe qvi ἀντιλαμβάνεται ταῖς αὐτῶν ἀσθενείαις Rom. VIII. 26. Nihil poſſunt absq; Chriſto Joh. XV. 5. omnia per ipſum valent eos corroborantem Phil. IV. 13. per virtutem illius potentem, qvæ operatur in iis potenter Col. I. 29. qvo ſenſu dixit Auguſtinus *Retract.* L. I. c. 22. *Voluntas noſtra, cùm fortis & potens præparatur a Domino, facile fit opus pietatis, etiam qvod difficile atq; impoſſibile fuit.* Hinc, ut reſp. rigoris Legalis mandata divina ſunt ζυγὸς ἀβάστακτος Act. XV. 10. ita reſp. ἐπιεικείας Evangelicæ *non* ſunt *gravia* 1. Joh. V. 3. ſunt φορτίον ἐλαφρὸν Matth. XI. 30. Et, qvamvis per ſe nihil valeat, nec coram DEo juſtificet iſta Legis imperfecta ſervatio, eſt tn. in renatis θυσία πνευματικὴ, εὐπρόσδεκτος τῷ Θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ 1. Pet. II. 5. tum qvia eſt effectum Spiritus, tum qvia, qvod eſt imperfectum, non imputatur: ſicut rectè Auguſtimus docet *Lib. I. Retractat.* c. 19. *Omnia mandata DEi facta deputantur, qvando, qvicqvid non fit, ignoſcitur, & Lib. 3. ad Bonifac. c. 7.*

Ora-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

Gratia DEi tribuit in hac vita ſtudium præcepta ſervandi, &, ſi qvid in illis præceptis minùs ſervatur, ignoſcit.

§. *Qvæ ſint autem levia, qvæ gravia peccata, non humanô, ſed divinô ſunt penſanda judicio.* Sic B. Auguſtin. *in Enchir.* c. 78. Mortifera in ſpecie peccata, hominem è. regno DEi excludentia, perqvam difficile eſt perfectâ enumeratione complecti. Pleraq; & potiora colliguntur ex Gal. V. 19. 20. 21. 1. Cor. VI. 9. 10. 1. Tim. I. 9. 10. (qvô ult. locô iſta patrantibus νόμος κεῖσθαι dicitur i. e. *gravis incumbere*, np. reſp. maledictionis: à qva qvia liberantur qvi in fide perſiſtunt, ideò dicuntur *non eſſe ſub Lege* Rom. VI. 14. Gal. V. 18.) Obſervamus tn. in Epiſt. Gal. l. cit. (1.) Non obſcurè diſcerni inter ipſum τὸ ἐπιθυμεῖν, qvod eſt ipſa luctæ durantis materia, & τὸ τελέσαι τὴν ἐπιθυμίαν, qvod eſt in actum deducere rem concupitam; qvomodo & Jacobus motus internos primos ἐξέλκεσθαι & δελεάζεσθαι deſtingvit ab externis & ſecundis, cùm accedente conſenſu & delectatione moroſâ ἡ ἐπιθυμία συλλαβοῦσα τίκτει ἁμαρτίαν, eamq; ἀποτελεῖ, qvæ ſic ἀποτελεσθεῖσα ἀποκύει θάνατον Jac. I. 14. 15. (2.) Iſta enumerari opera carnis, qvæ ſunt φανερὰ *manifeſta*, vel qvòd notoria ſint, ut ne ipſi qvidem carnales ea bonâ cum conſcientia extenuare poſſint; vel qvòd publicè committantur & carnem ſic reſipiant, ut ovum ovo non poſſit eſſe ſimilius. Cæterùm, licèt in iſto peccatorum mortalium catalogo nonnulla ſint, qvæ leviora ducunt υἱοὶ τοῦ αἰῶνος, qvæq; ſuâ ſubſtantia, & præſertim cum gravioribus comparata, leviora videri poſſent; non audemus tn. approbare gloſſam Autoris *Serm. XLI.* de Sanctis (qvi exſtat inter Sermones Auguſtini To. X. opp.) ſic ſonantem: *Qvamvis Apoſtolus capitalia peccata plura commemoraverit, nos tamen, ne deſperationem facere videamur, breviter dicemus, qvæ ſint illa: Sacrilegium,*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

um, *homicidium*, *adulterium*, *falſum teſtimonium*, *furtum*, *rapina*, *ſuperbia*, *invidia*, *&*, (NB.) *ſi longo tempore teneatur*, *iracundia: & ebrietas* (NB.) *ſi aſſidua ſit*, *in eorum numero computetur*. Neq; enim hæc redolent Auguſtini ſpiritum, cùm & ejusdem ſermonis νοθείαν multa alia indicia prodant, (vid. Cenſur. Coci p. 188.) neq; de conſvetudine ſolùm habituq; malo in his carnis operibus loqvi Apoſtolum, ſed & de vitioſo facto, eoq; vel unico, ex voce ἔργυ conſtare poterit.

9. Hoc pro certo habemus: ubicunq; non tanta cura adhibetur ad iſtiusmodi animæ & conſcientiæ vulnera evitanda, qvanta qvidem ab humana prudentia adhiberi ſolet ad devitanda vulnera corporis, aliaq; vitæ aut fortunarum damna, etiam locum declinandô & occaſionem, unde ullum timeri poſſit læſionis vel jacturæ periculum: ibi locus eſt peccato mortali. Nec iſta negligentia ſupina, vel inexcuſabilis (ut ita dicam) inadvertentia pro peccato veniali haberi debet. Videatur B. Chemnitius *ad fin. L. de Pecc.* & noſter Brochmandus *in* 1. *Joh. I.* 27.

10. Fruſtra v. hæc omnia ſunt, & in nihilum recidunt, niſi noſtris infirmitatibus gratia divina ſuccurrat. Et dantur qvidem in Scripturis exempla concurſus divini ſpecialis in retrahendis ab executione mali propoſiti irregenitis iisq; qvi ſunt extra Eccleſiam, Gen. XX. 6. XXXI. 29. XXXIII. 4. collato cum c. XXVII. 41. Item Num. XXII. 13. XXIV. 11. Qvalis concurſus, ut opus ſpeciale providentiæ, qvia divinus, non promeritus, & à majore malo, adeoq; & à majore pæna præſervans, *gratia* qvidem dici poteſt, ſed non niſi ὁμωνύμως, ſi cum *gratia renovationis* fidelium conferatur. Inſignis en. eſt inter utramq; differentia, (1.) reſp. *cauſæ* & *ſubjecti*. *Illa* bonis malisq; communis ex generali φιλανθρωπία DEi Pſ. CXLV. 9. procedit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

dit. *Hæc* ſolis fidelibus propria ex dilectione in Chriſto. *Illa* unius alteriusve partis aut facultatis in homine refrænatrix, reliqvis ſuæ libertati relictis. *Hæc* totius hominis ſanctificatrix, *integrum Spiritum, animam & corpus inculpatè conſervans* 1. Theſſ. V. 23. (2.) Reſp. *objecti & effecti*. *Illa* ab uno fortè alteroq; peccato retrahit. *Hæc* ab omnibus æqvaliter præſervare nititur. *Illa* exercitium naturalis vel affectatæ pravitatis ad tempus inhibet. *Hæc* non tantùm exercitium impedit, ſed & ipſam pravitatem naturalem ſubigit diminuitq;. (3.) Reſp. *finis*. *Illa* non tam hominis, cui datur, qvàm ſocietatis humanæ, inq; eâ Eccleſiæ præcipuè, bonum intendit. Sicut in locis alleg. Abimelech inhibitus fuit, ne Saram violaret, Laban & Eſau ne nocerent Jacobo ejusq; familiæ, Balaam ne populo DEi malediceret. *Hæc* verò præcipuè ipſius hominis recipientis ſalutem intendit, licèt tn. ex conſeqventi aliis qvoq; per id proſit. Hæc obiter.

11. Modus v. qvô per gratiam renovantem retrahuntur a peccatis enormibus fideles, eſt qvædam non-permiſſio divina. Sicut notum eſt, Deum ſæpenumerò permittere, ſanctos ſuos ſecuriùs viventes in horrenda ſcelera ruere. Et qvidem, uti Sol, cum adeſt, omnia illuſtrat fovetq;, cùm recedit, omnia tenebris implentur & frigeſcunt: ſic, cùm renati fiunt ſegniores in officio vel ſecuriores, Deus paulatim gratiæ ſuæ radios removet, ut videmus contigiſſe Samſoni, Davidi, Salomoni. Removet v. non qvòd lapſus Sanctorum velit, ſed qvòd Sancti jam eſſe deſinunt, cùm à concupiſcentia tracti & ineſcati *non auſcultant voci divinæ* Pſ. LXXXI. 12. 13. nec refugiunt occaſionem, qvam nôrunt, peccandi, adeoq; dant locum tentatori Eph. IV. 27. Jam verò, qvâ gratia abſente renati in horrenda ſcelera prolabuntur, eâdem præſente ab iisdem re-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

trahuntur. Hinc, ut retrahantur & præſerventur, precibus apud Deum inſtant, *tum* ut ne velit eos privare gratia ſanctificatrice: ut David ſuô periculo cautior factus orat Pſ. LI. 13. *Spiritum S. tuum ne recipias à me*, & Pſ. CXLI. 4. *Ne ſinas animum meum inclinari ad rem malam*, &c. *tum*, qvod idem eſt, ut gratiâ illa ſua ipſis potenter & efficaciter adſit Pſ. CXIX. 173. *adſit manus tua ad auxiliandum mihi, qvia mandata Tua eligo*, & Pſ. CXXXIX. 14. Domine, *vide an ego ingrediar viâ moleſta tibi, & deduc me viâ perpetua.*

12. Illud a. gratiæ auxilium a Spiritu S. procedit per Verbum & Sacramenta. His ille mediis ordinariis renatos, ad peccandum labiles, in ſtatu conſervat, (1.) Inſcribendô cordibus ipſorum Legem, ut ſemper ipſis in animo & qvaſi oculis obverſetur, Jer. XXXI, 33. Ezech. XXXVI. 27. (2.) Effundendô in cordibus ipſorum caritatem DEi, qvam in Evangelio commendat Rom. V. 5. 8. (3.) Accendendô in iis viciſſim ſtudium actumq; diligendi Deum, ſervandô præcepta ejus, qvò poſſint retinere fiduciam filialem ut in Patrem, & ſpem hæreditatis paternæ ut filii Joh. XIV. 23. Rom. VIII. 15. ſeqq. 1. Joh. II. 5. (4.) Excitandô in ipſis bonos motus internos & externos, ut *induant novum hominem* Col. III. 10. & *diſcentes benè facere, deſinant malè facere*. Eſ. I. 16. 17. (5.) Augendô vires ad reſiſtendum malo Eph. III. 16. VI. 10. & bonum, qvod in ipſis cæpit, perficiendô Phil. I. 6. (6.) Intercedendô pro ipſis per gemitus ineffabiles Rom. VIII. 26. Et hoc illud eſt auxilium gratiæ, qvod dicitur *vis intus agens* Eph. III. 20. IV. 16, *ductus Spiritus* Rom. VIII. 14. Gal. V. 18. *Lex mentis pugnans cum Lege membrorum* Rom. V. 23. *Concupiſcentia Spiritus adverſus carnem* Gal. V. 17. *Vis Chriſti efficax, agens in renatis potenter* Col. I. 29. &c.

§. 13.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

§. 13. Qvamvis hoc auxilium Spiritus S. Verbi miniſterio ordinariè exhibeatur, ſolumq; ad retrahendum a fædis lapſibus fideles ſufficere poſſit ac debeat: non negandum tn. videtur, Deum ex ſuperfluâ bonitate ſpeciales etiam providentiæ ſuæ actus eò dirigere, ut 1. Sam. XXV. 32. 33. atq; aliis nonnunqvam extraordinariis modis uti, e. g. *per ſomnia* de imminentibus periculis ut corporis ita animæ ſuos qvandoq; præmonere. Qva de re inſignem locum Job. XXXIII. 14. ſeqq. commodè interpretari poſſumus. Nec diſſentiunt præſtantiſſimi noſtræ Eccleſiæ Doctores, Balduinus *in* 1. *Tim. IV. qvæſt.* 1. Brochmandus *Syſt. To. I. Loc. de Angel. c.* 3. *caſ.* 2. Rungius in 2. Cor. XII. §. 18. Calovius *Syſt. To. I. c.* 3. §. 2. *qvæſt.* 4. Seb. Schmidius *Comment. in Job. l. cit.* qvocum tn. ne feneſtra aperiatur promiſcuis revelationibus extraordinariis, hâc cautione utimur: *monere Deum per ſomnia eos, qvos monere Ipſi liberè placet: nec nos hìc habere regulam.* Vid. ſi lubet, *Præf. noſtra in Conſiderat. Chiliasmi.*

§. 14. Peccata contumaciæ ſ. arrogantiæ, ut a deteriore cauſa procedunt, qvàm alia, ita & deteriores, qvàm alia, producunt effectus, ſive *ante*, ſive *ſub*, ſive *poſt* reſtitutionem hominis ſpectantur. Funeſtos & terribiles eorum effectus ante reſtitutionem peccatoris, vidimus in Davide ſup. §. 15. Unde patet, qvàm abſurdi ſint, qvi negant electos ſive renatos unqvam planè excidere gratiâ DEi, Spiritumq; S. & fidem amittere poſſe. Sub reſtitutione v. peccatoris, vel dum hæc, ut ajunt, *eſt in fieri*, qvantæ opus eſt difficultatis, ſuperbiam voluntatis, contra Deum & conſcientiam elatæ, edomare? qvantâ diligentiâ curandum vulnus, tam animæ profundè inflictum, ut ſanationem recipiat? Novâ ferè regeneratione opus eſt, ut *iterum in tali homine Chriſtus formetur* Gal. IV. 19. *Alto vul-*

neri

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

neri diligens & longa medicina non deſit. Cyprian. Serm. V. de Lapſ. & *tardiùs peccatum ſolvitur, qvod per conſilium ſolidatur*, ait Gregorius de cur. Paſt. P. 3. Sicut, qvas altiùs imbiberunt lanæ, maculas non ita levi opera eluimus, ut illas, qvæ obiter adſperſæ ſunt; ita peccata, qvæ ſunt velut *dibapha & coccinea* Eſ. I. 18. ut *tanqvam nix & lana exalbeſcant*, pluribus opus eſt lacrimis, pluribus ſuſpiriis ex corde pœnitente fluentibus, ut eſt 2. Cor. VII. 11. & ut loc. cit. docet Cyprianus: *Qvàm magna deliqvimus, tam granditer defleamus.* Si v. inſuper induratum iſtius generis peccatis cor fuerit, petræ ſimile eſt, qvæ ut aqvam emittat non ſimplici vice percutienda baculô Moſis: imò ſimile eſt nodoſo robori, cui durus adhibendus cuneus, & huic *duriſſimum oppreſſorium*, ut loqvitur Ambroſius. Nec minùs tn. ſingulari gratiæ revocantis beneficio imputandum, qvòd vel ſic locum & ſucceſſum aliqvem adhibita inveniat medicina.

§. 15. Poſt reſtitutionem hominis rarò aut vix peccata iſta maligna non relinqvunt (1.) qvosdam in anima & conſcientia aculeos; qvi, licèt impetratà gratia & *toto remiſſo debitô*, ſubinde ſentiuntur, licèt non ad deſperationem aliamve dubitationem, at ad *timorem & tremorem*, qvos inter ſalus promiſſa retinetur Phil. II. 2. Ferè, qvemadmodum periculoſiora vulnera, qvantumvis dextrè ſanata, reſidui nonnunqvam in carne aut artubus dolores ſeqvuntur, ſive certis aëris vicibus, ſive novô accidente ſymptomate. Sic fratres Joſephi, ſceleris in ipſum commiſſi multos poſt annos anxiè reminiſcebantur Gen. XLII. 21. ſeqq. L. 15. 17. Tum (2.) nomini ac memoriæ hominis maculam plerumq; inurunt indelebilem. Vel unius ſufficiet exemplum Davidis. Qvi, cùm multoties peccaverat vel *diffidentiâ* ut 1. Sam. XXVII. 1. vel *impiô animi propoſito* c.

XXV.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010

XXV. 22. vel *ingratô erga amicum animo* ut 2. Sam. XVI. 4. imo *injuſtitiâ* c. XIX. 29. vel *nimiâ iudulgentia* in filios Abſolonem & Adonijam, 2. Sam. XVIII. 5. 33. 1. Reg. I. 6. vel carnali confidentia ut 2. Sam. XXIV. 1. ſeqq. At inter omnia iſta præterqvam qvòd ſuo locô memoretur & cædes injuſtiſſima Uriæ, adulteriô cum Bathſebâ admiſſo; idem tn. immane facinus, qvaſi ad id comparata reliqva Davidis delicta non meruiſſent ultrà nominari, ſolum in glorioſo Sancti Regis elogio, qvod extat 1. Reg. XV. 5. velut exceptio ad regulam apponitur: *Fecit David, qvod rectum in oculis Jehovæ, neq; receſſit ab omnibus, qvæ præceperat ei, omnibus diebus vitæ ſuæ, niſi in re Uriæ Chittæi.* Cætera nimirum, qvæ per ignorantiam, animum præcipitem & inconſultum vel meram infirmitatem deliqverat, æternô ſilentio conſepulta erant; ſolum illud ex pleno conſenſu voluntatis & deliberatæ mentis pervicacia peccatum, velut ad perpetuam rei memoriam, poſteritati repræſentatur deteſtandum.

§. 16. Deniq; (3.) iſtiusmodi peccata, etiam poſteaqvam a Deo remiſſa ſunt, materiam externis afflictionibus ſecuturis præbent, *partim*, ut de ipſis peccatis teſtimonium extet, qvantum Sanctiſſimo diſplicuerint: partim ut correptionis illa Paternæ triſtia exempla, tum ipſis, qvi ita peccaverant, tum & aliis, ut ſibi caveant, admonitionem miniſtrent. Sic legimus eôdem tempore Nathanem Propheram, qvô de venia certum fecerat Davidem hiſce verbis: *Jehova tranſtulit peccatum tuum:* eôdem, inqvam, tempore inſtantia denunciâſſe mala, qvæ ipſum ejusq; familiam affligerent, ut horrendi ſceleris individua conſeqventia. Nec defuit eventus nunciatis. Senſit enim exinde David & ingemuit, nunc inceſtum liberorum Amnon & Thamar, mox fratricidium Abſalonis; tum ejusdem Filii apertam rebellionem, convitia Semei, concubi-

nas ſuas ab Abſalone filio publicè conſtupratas, & demum ejusdem planè tragicum exitum: qvin &, cùm jam fato ſuo proximus erat, turbatus eſt diſſidio filiorum inter ſe de regno contendentium: ut verè impletum fuerit, qvod prædixerat Nathan, *non amovebitur gladius a domo Tua* 2. Sam. XII. 10.

§. 17. Cæterùm, neqvaqvam putandum eſt, calamitates iſtas ærumnasq;, qvantæcunq; etiam ſint, cum ſanctis poſt gravia peccata remiſſa a Deo immittuntur, eſſe vel *ſatisfactiones* vel *pænas* propriè dictas. Si namq; eſſent ſatisfactiones, derogaretur aliqvid *vel* perfectiſſimæ Chriſti ſatisfactioni, qva *totius debiti remiſſio* impetrata eſt Matth. XVIII. 32. 1. Joh. I. 7. *vel* infinitæ Dei juſtitiæ, qvam inter & qvicqvid homo patitur nulla planè datur proportio. Si verò *pænæ* eſſent, multum utiq; decederet tum utriq;, tum *immenſæ* DEi *miſericordiæ*: qvippe remiſſâ pæna æternâ, temporales ſi lueret peccator pænas, ſeqveretur juſtificatos habere Deum partim placatum, partim iratum: qvod utiq; abſurdum. Qvapropter, cùm a Deo placato adverſitates illas piis imponi certum ſit, tolerandæ ſunt ut correptiones Paternæ, ſecundùm illud Ebr. XII. 6. *Qvem diligit Dominus* παιδέυει *corripit*, imò μασιγοῖ *flagellat omnem filium, qvem agnoſcit*. Qvem v. in finem? certè, ut peccata commiſſa, qvamvis remiſſa, penitiùs agnoſcant, evitentq; in poſterum cautiùs; ſicut extat 1. Cor. XI. 32. *à Domino* παιδευόμεθα κρινόμενοι, *ut ne cum mundo ſimul damnemur*. Ut jam alios crucis fructus & ſpecies, τιμωρίαν, δοκιμασίαν, μαρτύριον, & ſi qvo alio nomine veniant, hac vice prætereamus.

Tantum, Χάρις Χριστῷ Θεῷ ἡμῶν!

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-116 4° 1010